



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE XVII. DECEMBRIS.

M

Ediolano, a. d. 5. Nou.

Tanta Imperatoris Romanorum erga nos fuit indulgentia, vt de tributo quotidiano * multum nobis remitteret, quare ratione singulis annis plus, quam decies centena millia numerorum, vt vocantur, imperialium lucrabimur. Quos nuper Ticini lustrauerant milites desultorios, ex legione Walmerodensi, illos per alias legiones distributos fuisse, resciumus.

* *Itali vocant la Diaria.*

Parisis, a. d. 24. Nou. Diebus hisce proxime præterlapsis cursor extraordinarius Mantuam Carpetanorum est missus, qui tabulas, in quibus leges fœderis conubialis inter Principem Asturia,

atque Principem Monpenseriam initi continentur, eodem perferret. Princeps vero hæc Monpenseria superiori martis die, posteaquam regis nomine per *Villaregium* summum copiarum præfectum, vt & nomine societatis mercatorum per Chateanufium, salutata atque more solito magnifice donata fuisset, iter cum vniuerso, qui ei amplissimus adiunctus est, comitatu, est ingressa.

Alia ex eadem vrbe. Meminimus nuper *Cartouchii* causa quæsitorem capitalium tribunal a rege constitutum esse, in quo is ad confitenda, quæ perpetravit facinora cogatur, nunc vero fama est, duos menses vix suffecturos esse eiusdem examini, sociorum enim, quos habuit, plus minus centum iam esse detectos, quos tamen omnes conquirere, quia

quia per varias dispersi sunt prouincias non facile licebit. Ceterum creberri-
mi quotidie afferuntur nuntii, loca
quamplurima, quibus hucusque pe-
ffis pepercerat, eadem iam nunc cœ-
pisse corripere.

Londini, a. d. 21. Nou. Fama est Re-
gem plerosque legatorum ex Italia regi-
onibus domum reuocare constituisse,
non alio fine, quam vt sumtibus par-
cere in posterum queat. Nudius ab hinc
tertius tabularum illarum quibus Impe-
rator Romanorum regi Hispaniæ, atque
hic illi certis prouinciis cedit, permuta-
tio facta est, inædibus *Cartereti secretarii*.
Lawio nuper haud obscure indicatum
ferunt, præsentiam eius regi minus esse
gratam. Certe Dominus Couperus fa-
cultatem sui adeundi, nulla vsus excu-
satione eidem negauit.

Hagæ Comitum a. d. 28. Nou. Proceres
nostri nudius tertius denuo conuentus
agere cœperunt. Sommelsdykius Vica-
rius classis præfectus, cum nauibus quas
secum in mari mediterraneo habebat,
ad portum nostrum rediit iamque cum
nonnullis procerum fuit in colloquio.

Dresda, a. d. 25. Legatus Russicus,
qui non ita pridem Petropyrgo huc ac-
cesserat, posteaquam nudius tertius
Regi Augusto valedixisset, heri hinc di-
cessit, Petropyrgum rediturus. Eadem
illa die Rex Augustus horis pomeridia-
nis in horto, qui extra portam Pirnen-
sem est *Phasianorum* iaculatione tempus
fallebat. Summus militum Dux *Lan-
gasco*, hodie mane prætorianos equites
in vrbe, quæ nostræ per pontem est
coniuncta, quamq; veterem appellamus
Dresdam, lustrabat. His diebus *Wun-
berlichius* hospitiorum bellicorum de-
signator, clam se hinc subduxit, qua-
tuor millibus numorum, quos impe-
riales vocant secum ablatis.

Tubingæ. Academiæ in Sueuia Histo-
ricæ, cuius superiori hebdomadæ men-
tionem fecimus, leges suis verbis con-
ceptæ, sunt sequentes: 1. Tenebun-
tur Academiæ Membra ita omnes actio-
nes suas litterarias instituere, vt finis
Academiæ supra propositus, quantum
pote, attingatur. 2. Hinc nullam pro-
mouendi euehendique Studia Historica,
horumque cultores & Patronos occa-
sionem prætermittent. 3. In primis,
si circa Thema, ullo modo ad Historiam
spectans vel plane noui aliisque non-
dum visi, vel ad asserta aliorum nouis
ex fundamentis vel defendenda vel re-
fella inuenere, quid, vel si alias
singulare aliquid huc spectans obser-
uare iis continget, neruosa breuitate
in chartam hoc iactum, vel præfixo Ob-
seruationi, id quod fiet regulariter, vel
suppresso ob circumstantias nomine,
transmittent Præsidi. 4. Communi-
cabit ista Præses cum singulis Academiæ
Membris in Sueuia subsistentibus. 5.
Quæ hoc modo ad examinandi statum
communicata fuere cum Socio, sine
ulla mora perleget, Præsidi que remit-
tet. 6. Si quæ obseruauit, vel circa
ipsum Thema, vel circa elaborationem
ejusve partes, quæ censoriam merentur
virgulam, privatim de his Autorem
certiorem reddet, verbis tamen mode-
stissimis, aut si mauult, suppresso quo-
que nomine ad Præsidem annotata sua
deferet, ut ad Autorem hic ea perue-
henda curet. 7. Ita &, si, quæ ornare
ulterius, & limatiora reddere commu-
nicata possent, tenet, sine inuidia Au-
torem instruet. 8. Vicissim Obserua-
tionum Autores hæc non, vt censuram
minus necessariam cogitationum sua-
rum respicient, sed ea hoc fine fieri
existimabunt, vt pateat, annon ab aliis
dicta hæc iam sint, annon melius & so-
lidius

lidius dici & efferri possint &c. manente interim Autori libertate siue priora corrigendi supplendiue, siue retinendi salua, manenteque eidem obseruationis soli eliminatoris gloria; Academiae vero honore, quod non nisi egregia, prorsusque luce digna Membra eius proferant. 9. Laboris praemium reale haecenus Membra expectabunt non aliud, nisi id, quod pro rata ex soluendo a Bibliopola honorario cuiuslibet debetur. 10. Eligentur autem pro materia obseruationum Themata ad Historiam Secularem, Ecclesiasticam, atque Litterariam cognatasque his scientias Numismaticam, Heraldicam, Chronologicam, Geographicam, Genealogicam, Diplomaticam &c. spectantia, eaque vel rariora, & ab aliis vel plane non, vel non satis accurare tractata, vel vulgaria quidem, sed circa quae nonnisi singularia & curatiora aliorum cogitatis afferant. 11. Secus si quis fecerit, sibi imputet, si omissendam in Collectione Obseruationum Academiae eius operam Academia iudicabit. 12. Quot quantasque Obseruationes, quae Lingua conscriptas conferre singula Membra velint, a cuiuscunque arbitrio pendebit, modo non ultra 12. plagulas excrescant. 13. Cum Academia constare debeat tantum ex Viris eruditis, his vero nunquam egregia in publicum proferendi materies desit, hinc & Academicorum quisque ad id erit obstrictus, ut, tum singulis bienniis, tum vel maxime intra primum post receptum annum industriae suae specimen tale Praesidi edendum exhibeat. Exhibuisse vero & is censetur, qui anecdotorum Historicorum luce dignorum, quid offeret: nam & haec inferentur Academiae Obseruationibus. 14. Si biennium vel annum praeterire quis pa-

titur, officium hoc suum absque causa negligens, a Praeside eius admonebitur & si intra Semestris spatium mentem aliam non induerit, Academia exturbabitur. 15. Obseruationum editionem Praeses curabit, & quoties tot aderunt, quae plagulas quadraginta impleant, ut iuris fiant publici, curam geret. 16. Praeterea in singulis Academiae solennibus Conuentibus ab Academiae Membro, quod ordo tanget, omnibus Academiae membris duo themata Historica, alterum ex Seculari, alterum ex Ecclesiastica Historia, proponentur, singularia dignaque, in quibus euoluendis docti Viri desudent, & ex quorum enucleatione in publicum aliqua redundare queat utilitas, integrumque Tractatum eorum excussio itidem non requirat. 17. Praeses absentibus statim nunciabit, circa quid proposita Themata versentur. 18. Et sic, incluso Membro proponente, omnibus Academicis, nisi praegnantibus causis pro excusatione allegentur, incumbet, ut intra Semestris spatium alterutrum horum diducant, scriptoque, quid circa illud sentiant, comprehendant, Praesidi que mittant. 19. Transmissa Praeses lecto singulorum nomine cum reliquis Membris communicabit, rogabitque eorundem suffragia, quodnam ex omnibus praeferi reliquis eiusdem Thematis elaborationibus mereatur. 20. Stabitur & hic maiori parti, quo haec inclinet, in conuentu Academiae solenniter declarabitur, & loco praemii pecunia a sociis annuatim conferenda cedet iisdem secundum partes infra descriptas. 21. Inter Officia Academicorum erit & hoc, ut cum indicent Praesidi, ubi locorum reperiantur eruditi Studiis Historicis promouendis, qui inuigilent, aut apti ad id saltem sint, scilicet, ut recipi in
gremi-

gremium Academiæ ii queant; tum vt excitent hosce ad ornanda augendaque pro virili sua parte hæc studia. 22. Porro, cum bonis libris nunquam abundet Orbis, curabunt, vt, qui delitescunt hinc inde, & cum blattia luctantur digni luce Virorum egregiorum fœtus ingenii historici, in dias prodeant auras, aut, si ipsi occasione vel tempore destituuntur, Academiæ Præsidi vel Membris ad id idoneis effectui hæc danda commendabunt. 23. Membro ex Academia demortuo, Præsides, quamprimum ad eum eius perueniet notitia, ad maiora quatuor ad minimum Sociorum vota Academiæ membrum quoddam rogabit, vt defuncti vitam & acta erudite breuiterque depingat. 24. Continet hæc præter pertinentia ad priuatam viri vitam leuiter tacta vel maxime eius generis res, quæ ad rem litterariam augendam, pietatem instillandam, &c. faciunt, e. g. controuersiarum defuncti cum eruditis aliis historiam & momenta singularia, ductus, & prouidentia diuina vestigia, infucata pietatis exempla, &c. 25. Ita descriptam defuncti memoriam æque ac alias Observationes singulis Membris inspicenda mittet Præsides, vt si quæ habent, quæ vel addant, vel emendent, Præsidem vel Autorem certiozem de hoc ipso faciant. 26. Cum hoc modo Membrorum manus euasit, inferetur Academiæ anni illius Historiæ. 27. In omnibus vero suis Scriptis præsertim ab illiberali controuersias per iniurias odiosas, personam aduersarii tangentium circumstantiarum allegationes, detractiones & dictatoriam auctoritatem tractandi modo sibi cauebunt Academia Membra, nihilque Scriptorum contra hoc peccans inferetur Academiæ Actis atque Observationibus.

Vienna, a. d. 13. Decemb. Quibus rerum bellicarum procuratio ab Imperatore demandata est, cursorem nudius abhinc quartus, ad *Dierlingium*, legationem Constantinopoli obeuntem, miserunt, qui ei litteras de rebus maximis perferret; sed quæ earum sit sententia nondum liquet. Hodie natalis *Serenissimæ Archiducis Austriae, Mariæ Elisabethæ*, more pompaque solemnium in ipsius Imperatoris Augustissimi, tum in Viduæ Gloriosissimi quondam Imperatoris *Josephi* aula, celebratus est, quem ei omnes aulae proceres, foeminaeq; principes, felicem faustum ac fortunatum, verbis conceptissimis comprecabantur.

Posonii, a. d. 17. Decemb. *Excellentissimus Comes ab Thürheimb*, rebus, quas in mandatis habebat, peractis, heri vrbi nostræ valedixit, qua die, vltima quoque consultatio apud *Excellentissimum Palatinum, Comitem Nicolaum Pálffy* ab *Inclytis Statibus* instituebatur. Aiunt in eo esse, eosdem Regni Hungariæ status, vt Cæsarem Augustum, Regem suum indulgentissimum inducant, ne plus quam sexaginta *portionum* millia, surgente anno a se exigantur. Alioquin eadem illa consultatione vltima, *Inclyti Regni Bohemiæ*, erga Hungariam nostram voluntas palam innotuit, qua futurum speramus, vt Regnum vtrumque sicuti vnus regis sceptris reueretur, ita mutuis commerciis, vltro citroque instituendis, in posterum efflorescat. Id enim agere Bohemos accepimus, vt merces, quas Hungaria præbet, vti sunt, vinum, sal, boues, mel, cera &c. ad ipsos educantur, indeque ea expectentur, quæ apud Bohemos manu fiunt, videlicet pannum, linteum, reliqua.